

672.

1279 d. 15 Maj.

Alsnö.

ULFHILD MAGNUSDOTTERS Bref rörande förutnämde jordabyte.

A. 6. a. 1: 16.

Vniuersis presentes litteras visuris vel audituris . V. quondam magni legiferi osgothorum filia. salutem in domino sempiternam. tam presentes quam futuri nouerint vniuersi. presente Domino benedicto osgothorum legifero. fratre nostro. & in id fauore beniuolo consonante cum dilecto marito nostro domino birgero philippi filio. nos in hunc modum fecisse cambium curiarum. reliquimus ei duas curias de nostris cum omnibus adiacenciis illis. scilicet. vÿ. & hobÿ. cum omni legalj alienacione. possidendas. vendendas. inpignorandas. & quoquo modo pro suo placito ordinandas. assumentes nobis & nostris heredibus duas de suis eque bonas cum omnibus attinenciis earum videlicet. frøsbyergh. & liungsas. perpetuo possidendas. ad cuius rei testimonium amplius. presentes litteras sigillo. (*raderadt.*) nostro fecimus roborari. actum anno domini. M°.CC°.LXX°.IX°. jdus maij. in alsno.

Sigillet skadadt.

673.

1279 d. 6 Jun.

Rom.

Påfv. NICOLAUS III:s Befallning till Ärke-Biskopen och Biskoparne i Sverige att skicka den insamlade Hel. Landshjelpen till Skara hamn för att sedan af den Apost. Insamlaren Mag. BERTRANDUS AMALRICI öfverföras till Frankrike.

F. 1: 310. An. 2. Ep. 138.

*Nicolaus III. mandat universis Episcopis Svetiæ, ut ad Portum Sca-
rensem transmittant pecunias negotio Terræ Sanctæ deputatas in
Franciam deferendas per Collectorem apostolicum.*

*Nicolaus &c. Venerabilibus Fratribus . . . Archiepiscopo, et universis
Episcopis in Regno Svetie constitutis Salutem &c.*

Tanto ad terre Sancte comoda procuranda vos decet consurgere promptiores, quanto illam eius beavit presentia, cuius effusio sanguinis extitit nostra salus. Cum itaque decima ipsius terre, que proh dolor non sine ignominia Christiani nominis sub Infidelium potestate consistit eiusdem terre subsidio deputata, quedam quantitas pecunie in vestris Civitatibus, et Diocesibus, ut intelleximus, sit collecta Vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus ob reverentiam Crucifixi cuius in hac parte res agitur, et nostram singuli vestrum pecuniam in locis de decima huius-

modi vestre iurisdictioni subiectis collectam ad portum Scarensem procurent sub custodia fida deferri. Ita quod dicta pecunia postea in Franciam, per dilectum filium Magistrum Bertrandum Amalrici Capellanum nostrum Remensem Canonicum in Svetie et Datie Regnis Collectorem decime a Sede apostolica deputatum deferri possit, seu mitti, ad quod eidem Capellano auxilium, et Consilium quantum in vobis fuerit vos volumus impertiri. Preces autem, et preceptum nostrum sic studeatis sollicitate, ac fideliter adimplere, quod eiusdem subsidii exhibitione operis laudabiles comprobemini zelatores, Nosque proinde devotionis vestre sinceritatem dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Junij Anno Secundo.

674.

1279 d. 7 Jun.

Rom.

Påfv. NICOLAUS III:s Befällning till Konungen i Sverige att återställa det, som uppburits af Hel. Landshjelpen.

F. 1: 312. An. 2. Ep. 136.

Nicolaus III. Regem Svetiæ graviter monet de restituenda pecunia Terre Sanctæ assignata.

Nicolaus &c. Carissimo in Christo filio . . . Regi Svetie Illustri Salutem &c.

Si circumspecta culminis regalis industria recte consideret quantum apostolica Sedes circa negotium Terre Sancte, quam inimicorum filii Dei vivi Domini videlicet Ihesu Christi, qui pro salute humani generis in ea nasci voluit, et Crucis subire tormentum funesta presumptio occupavit a noxiis sollicitudinibus laborarit, et ad illud cooperantibus sibi fidelium studiis indesinenter aspiret, tu profecto circa ea que promotionem ipsius negotii procurarent, tua vacaret intentio eiusque detrimenta, tanquam membrum Nobile, ac princeps catholicus evitares, Sed sicut non sine vehementis admirationis causa nuper accepimus de pecunia decime, que in tuo Regno ad opus ipsius terre collecta esse dinoscitur, quandam quantitatem argenti sub velamento necessitatis urgentis recepisti motu proprie voluntatis, quod utique non decuit Regiam Majestatem, cuius favoris presidium ipsi negotio suo loco, et tempore credimus non deesse. Verum quia huiusmodi receptionem ipsius pecuniæ non frustra notabilem in derogationem honoris tui, ac Regie honestatis cedere pro firmo testamur, et in perniciem dicte terre foret exempli exinde aliis causa mali. Nos licet huiusmodi facti qualitas exigeret super hoc fuisse aliter procedendum, ne tamen caritatem veram, quam more superni Patris, cuius Vicariatus in terris quamquam indigni officium obtinemus, ad